



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 251. Et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra. v.  
60.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

immaculatum, quamque Sanctum esset, quo nil sanctius sub cælo & mundius exstabat, accepit & attulit secum linteum pretiosum, candidum & novum, & inuoluit illud corpori Christi ad sepeliendum; indicando per hoc quam puri, quam candidi, quam sancti & immaculati esse debeant homines, qui Christi corpus in Eucharistia assumere intendunt, & quodammodo in se sepelire.

Væ igitur miseris illis qui conspurcant corpus vel animam suam peccatis, in quibus tamen illud benedictum corpus toties recipitur & quasi sepelitur, certe Domine Iesu non ibi in sindone munda, sed, pro pudor & dolor! in cloaca iacet fetidissima, & sordibus plena, & tamen non dedignaris ad nos venire & despectum illum perferre, ô charitas infinita!

**D**omine Iesu patientissime & mundissime, si unquam id à me quoque factum est doleo, & rogo veniam, petoq; abs te, qui solus potes mundare quem vis, munda cor & corpus meum, ut veniens ad me in S. Eucharistia toties delecteris habitare in me quasi in sindone munda.

§. 251. *Et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra. v. 60.*

Magnum signum reverentiæ & amoris erga Dominum quod post eius mortem ipse Princeps venerit ad sepulturam eius, deposuerit corpus è Cruce, illud ipsum involverit sindoni, ipsum portaverit ad sepulchrum & proprium cesserit excisum noviter in petra monumentum.

**D**omine, da mihi obsecro gratiam, ut edam quotidie signum aliquod amoris tui erga proximos & propter te sive in vivos sive defunctos & sic quotidie præparem tibi sepulchrum noviter excisum in petra cordis mei, nam id verè petra est, & quidem durissima, nisi per te mollescat, ceterum Pharaonis indicat mihi quale sit sine te cor meum: quale illud fait, meum erit, si gratia tua deseruerit me. Ne igitur desere me, ne recede à me, sed quiesce in me, ut sit mihi salus à te.

§. 252. *Et advoluit saxum magnum ad ostium monumenti. v. 60.*

Prudenter advoluit saxum magnum Sanctus ille Iosaph monumenti ostio, ut illæsum custodiretur corpus Iesu, ne vel à bestiis laceretur, vel ab ipsis invidis Iudæis ignominia in ipso adhuc sepulchro afficeretur. advoluit autem quia propter magnitudinem & pondus portari non poterat. Id ipsum coaptavit ostio, ne leviter inde vel revolui & deportari posset.

**M**i Iesu, utinam ego imitarer prudentiam & studium huius Sancti, utinam mysticum saxum advolverem custodiæ cordis, nimirum constantiam, ut ubi tu semel intraveris & sepultus in eo fueris, inde nunquam possis